



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1656

§. 290. Posthac autem duobus ex his ambulatibus ostensus est in alia
effigie. v. 12.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

nibus & iucunde narrantur, Ista de Christo Resurgente tam vera & bona non crediderunt.

Domine capere non possum cur Apostoli tui dilecti tergiversari sint fidem adhibere verbis Mariæ veraci, & visui, nisi quod vere ignorantes & immemores fuerint verborum tuorum & promissionum in longa illa oratione apud institutionem venerabilis tui Sacramenti, quod tertia die resurgeres præcederesque ipsos in Galilæam. sed video vulnera nostra in Apostolis sunt tractata & suaviter curata. Tu Domine id fecisti, tibi gloria debetur in sæcula.

§. 290. *Posthac autem duobus ex his ambulantis ostensus est in alia effigie. v. 12.*

Posteaquam Mariæ credere volebant Apostoli, quæ tamen Iesum vidisse testabatur, superuenit aliud testimonium de duobus discipulis qui ambulantes extra Ciuitatem Hierusalem, versus villam Emaus viderant Dominum; sed in alia, quam Maria effigie, illa enim in specie propria in peregrini forma (nam de Hortulani figura postea agitur) vidisse se profitebantur.

OMira benignitas Saluatoris, qui singulis ea dona largiris & eo modo quo ipsis melius possunt perficere ad vitam æternam. Te benedico. Tibi gratias ago, & inuito ad te benedendum omnes res in sæcula læcum. Amen.

§. 291. *Euntibus in villam. v. 12.*

Villam hic Euangelista videtur ponere pro castello siue municipio, quia ibidem erant congregatæ multæ villæ in quibus habitabant Coloni, qui agros colebant, vt ait Theophyl. ipsa deinde dicta est Nicopolis, Ciuitas insignis Palæstinæ, quæ post expugnationem Iudææ, sub Marco Aurelio Antonino Principe instaurata fuit. Ibant ergo illuc isti duo discipuli, Cleophas scilicet & vti creditur Lucas, inuisuri vel villam propriam, quam forte necdum plene reliquerant, vel amicos, vel ad refocillandum animam & pellendam cordis tristitiam, quam hauserant ex Christi Domini sui captiuitate tormentis & morte, cum quo etiam sua conditio videbatur esse attrita imo spes fortunæ omnis deiecta esse.

ITa sane contingit, omnes volumus esse beati, quærimus bonum & solertium. si vno excidimus aliud requirimus. & hoc quidem rectius, quam si penitus desperemus, & vitam vt iudas, nobis præscindamus, dampnabili consilio, veruntamen cautela opus est, ne à vero bono amisso, ad fallaciam deflecta.